



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An Vicarius Episcopi, & eius familiaris examinatus synodalis, visitator
diocesis & lucentur fructus, & distributiones choro non assistentes. §. 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

An penitentiarius ob eius officium lucretur fructus, & distributiones choro non assistens.

- 1 Affirmatiue respondetur dummodo in Ecclesia assistat paratus confessiones audire.
- 2 Extenditur ad Litanias, & Processiones extra Ecclesiam.
- 3 Quid de aliis Canoniciis tempore diuinorum confessiones audientibus.
- 4 Quid si sint signati ad hoc officium praesente penitentiario, ut illum adiument? Probabilis est lucrari sicut penitentiarius.

1 Canonici penitentiarius dum in Ecclesia assistit paratus confessiones audire, ubique penitentes expectat, aut cum eisdem loquitur de rebus ad confessionem pertinentibus, praesens choro censetur, & fructus, & distributiones lucretur, ac si diuini assisteret: ex decreto Tridentini, sess. 4. cap. 8. de reformat. Quia vilitati Ecclesiae prouidet sic onera sui beneficii exequens, & in specialem decorem, & plenioris Ecclesiae cedit, sic esse paratum ad fidelium confessiones audiendas, & haec decretum Tridentinum dicitur censendum esse choro praesentem dum confessiones in Ecclesia audit, hoc non tollit, quominus extendi non possit ad tempus, quo te confessionibus audiendis praeparat, vel praeparat penitentes, vel circa confessiones audiendas consilia praebet: quia haec omnia ad munus confessarii pertinent, & necessaria sunt, & moraliter loquendo, dum in ipso occupatur, dici potest occupatus in confessionibus audiendis. Sic Bonacina disputat. 2. de hoc. canon. quae. 5. punct. 3. §. 5.

Neque obstat sacra congregacione declarasse penitentiarium non acquirere distributiones, si tempore diuinorum primarium officium in confessionibus recipiat vel factum facit, vel confabulatur, etiam tempore antecedenti occupatus fuerit in confessionibus audiendis. Garzia 5. de benef. cap. 4. numero 114. Alex. Moneta 2. p. de distribut. quae. 11. numero 16. Vigorius de officio Episcopi cap. 33. num. 5. Bonacina §. 4. n. 3. Non inquam obstat. Quia aliud est officia penae allumere, quae ad confessionem non ordinantur, alud allumere media ad confessionem ordinata, aut quae confessionem complent. Praeparata enim te ad confessiones excipienda expectando in loco confessionarii contentes, ut facilius confiteri possit, in quoque ad confessionem disponere, & de melioris vitae consilia praebere, officium est confessarii, ac proinde ob illud praesens choro reputari debet, secus vero ob confabulationem aliam saecularem, vel ob priuatum horarum recitationem: quia non sunt officia confessarii. Fautique declaratio sacrae Congregationis Cardinalium relata ab Augustino Barbosa 2. p. de reformatione, ubi mandatur penitentiaria assistere in sede, & loco ad confessiones excipienda deputato, ne penitentes perquirere eum cogantur, & ob verecundiam huius inquisitionis confessiones omittant. Barbosa allegat. 55. num. 28.

2 Adde non solum penitentiarium confessiones audientem in Ecclesia censendum esse choro praesentem, cum in illo diuina officia celebrantur, sed etiam censendum esse cum extra Ecclesiam Litanie, & Processiones habentur. Quia haec publica, & communis Litaniarum, & Processionum recitatio, sub nomine diuinorum officiorum, quae in choro celebrantur, comprehenditur: chorusque non tam locus ille materialis, quam congregacio Canonicozum diuina persolvens intelligitur. Sic de cetero a sacra Cardinalium congregacione, refert Garzia 3. p. de benef. cap. 4. numero 125. Bonacina dict. §. 5. n. 4. Barbosa 3. p. allegat. 55. num. 31. Quamuis contrarium teneat Moneta 2. p. de distribut. quae. 11. n. 64.

3 Sed quid dicendum de aliis Canoniciis, qui tempore diuinorum confessiones audiunt? Si enim ex deuotione huic muneri incumbant, credo nullo modo pro praesentibus choro esse habendos. Quia eorum officium sic assumptum, est cedat in vilitatem populi: regulariter cedit in damnum Ecclesiae, & diminutionem diuini cultus. At si ex mandato, seu assignatione superioris huic officio incumbant, satis probabile reperio fructus, & distributiones lucrari, sicut penitentiarius non solum quando penitentiarius abest, vel mortuus est; & in eius locum aliquis subrogatur: sed etiam quando illo praesente in illius adiutorium aliquis alius designatur. Imo etiam designatur duo, vel tres, eo quod multitudini penitentium solus penitentiarius satisfacere non possit. Et quidem lucrari distributiones, & haberi tanquam choro praesentem subrogatum loco penitentiarii ob illius absentiam, vel morem defendit Bonacina supra, & ratio esse potest. Quia subrogatur sapit naturam illius in cuius locum subrogatur cum omnibus suis qualitatibus primordialibus, & accidentalibus. Lege si cum, §. iniuriarum, si quis cautionibus, l. in duobus §. si de iureiurando, §. fuerat infirmitas de actionibus, & aliis pluribus exornat Tiracellus de retractatu ligni §. 2. l. ff. l. an. 10. usque ad 18. Molina de Hispaniis primo Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.

genis, cap. 4. per totum. Anton. Gab. tit. de reg. iuris conclus. 2. per totum. Sed penitentiario audienti confessiones in Ecclesia conceduntur distributiones, ac si praesens choro esset. Ergo etiam detur concedi illi, qui in eius locum est subrogatus. Item hic occupatur in eodem officio, ac occupatur penitentiarius. Sed penitentiarius in tali officio occupatus, censetur occupatus non solum in vilitatem populi, sed etiam in vilitatem Ecclesiae, ad quam pertinet populo confessorem aliquem deputare, qui ad referuatis absoluat, & cuius consilia secute sequi fideles possint. Ergo etiam subrogatus in vilitatem Ecclesiae censetur occupatus.

4 Verum si praesente penitentiario alius, vel alij in illius adiutorium ad audiendas confessiones designentur ob multitudinem penitentium? credo probabilis tali assignatione facta lucrari distributiones, ac si choro praesentes essent. Sic tenet Moneta de distributionibus 2. p. quae. 11. num. 68. Mouet, quia occupantur in eadem Ecclesiae vilitate. Vile enim est Ecclesiae imò necessarium ministros habere, qui populo in reita necessaria satisfaciunt.

§. VI.

De Canonico magistrali, & lectorali quid est dicendum.

- 1 Cum legit, vel concionatur in propria Ecclesia, distributiones lucretur tali hora, imò & tali diei correspondentes.
- 2 Quid de consuetudine lucrandi fructus per octo dies antecedentes.

1 Distributiones lucretur Canonico Magistrali, vel lectorali cum in propria Ecclesia concionatur, vel legit, ex cap. unico de clericis, non resident. in 6. Quia exequitur officium, & obligationem suae praebendae, quod non potest non esse maxime Ecclesiae vtile: ex concessione autem Gregor. XII. & declaratione sacrae Congregationis, non solum ea hora, in qua concionatur, vel legit, sed omnibus horis illius diei reputatur choro praesens, & merito: quia exerceat actionem magis laboriosam, quam alij praebendati, & quae specialem praeparationem requirit. Sic Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 119. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. §. 7. proemij num. 80. Moneta de distributionibus 2. part. quae. 10. num. 27. Bonacina dicta disput. 2. §. 5. p. 3. §. 6. Augustinus Barbosa 2. p. de potest. Episcopi allegat. 56. n. 8. & alij apud ipsos. Verum est hoc ita sit legens, vel concionem habens eo die non censetur praesens matutinis horis, quae secundum aliquam Ecclesiarum consuetudinem dicuntur in vespere diei antecedentis; quia non sunt horae illius diei, in quo concionem, vel lectionem habet, sed sequentis. Sic Garzia, Barbosa, & Bonacina supra.

2 In aliquibus tamen Ecclesiis est consuetudo, vt non solum in eo die quo Canonico magistrali concionatur, habeatur pro praesente, sed etiam per octo dies concionis antecedentes; quia ipsi reputantur necessarii, vt abique graui defatigatione officium proxi deere exerceat possit. Reputant tamen hanc consuetudinem extendi posse ad lucrandos fructus praebendae, non tamen quotidianas distributiones, nisi forte in ipsis tota praebenda consisteret. Mouet quia Gregorius XIII. dixit distributiones quotidianas debere concionanti, & legenti non solum hora, qua legit, sed pro toto die, ex gratia, inquam, vt constat ex allegatis a Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 120. extendere autem gratiam ad alios dies nimium videtur. Vide Garziam num. 23. Si autem in distributionibus tota praebenda consistit, eas lucretur, ne inuile reddatur privilegium. Garzia num. 351. An vero deducenda sit tertia pars pro interestibus? Afirmat cum Bonacina disput. 2. quae. 5. p. 3. §. 6. fin. Garzia n. 151. in simili ex declarationibus sacrae Congregationis. Quia hac ratione incitantur Canonici ad assistendum, & interestes non patiuntur damnum.

§. VII.

An Vicarius Episcopi, & eius familiaris, examinador synodalis, vilitator dioecesis, &c. lucretur fructus, & distributiones choro non assistentes.

- 1 Fructus lucretur supradicti, non distributiones, nisi specialis consuetudine, aut indulto Pontificali conceiantur.
- 2 Canonici Vicarius Episcopi exco. atur a residentia, & fructus lucretur.
- 3 Quod beneficiatus possit Episcopus in sui familiares assumere.
- 4 Ex Ecclesia collegiata sicut neque ex Cathedrali non potest plures Canonicos, quam duos in sui familiares assignare.
- 5 Parochus ultra duos menses non potest in vicarium Episcopi assignari.
- 6 Nomine Episcopi venit intelligendus habens iurisdictionem Episcopalem, quique Ecclesia Cathedrali, vel collegiata capui sit.

Canonici ab Episcopo constituti visitatores hospitalium, & Ecclesiarum diocesis, Vicarij foranei, administratores locorum, beneficiorum examinatores fructus praebendae lucratur, qui legitimam habeat causam absentiae. Non tamen lucratur distributiones quotidianas, nisi privilegio Pontificis consuetudine legitime praescripta, aut statuto à Pontifice confirmato eis concedantur. Quia non sunt occupati in seruitio Ecclesiae propriae, sed in seruitio Episcopi, & Ecclesiae in communi. Sic relato Alex. Moneta docuit Garzia 3. p. de beneficiis cap. 2. num. 354. ubi refert privilegium concessum ad instantiam sancti Caroli praebendatis Ecclesiae Mediolanensis. Bonac. disp. 2. de hor. canon. quest. 5. p. 3. §. 8. Barbosa loquens de examinatore 3. p. allegat. 53. num. 161. Et in remiss. Consil. sess. 24. cap. 12. sentit his examinatore debet fructus, & distributiones ex Lelis Zecho de Rep. Ecclesiast. titulo de beneficiis n. 13. ad finem.

Item debentur fructus, sed non quotidianae distributiones duobus Canonice ab Episcopo in eius seruitium assignatis, ac si praesentes choro essent, iuxta text. in cap. de cetero, ad audientiam de clericis non residentibus, quod non est derogatum à Tridentino sess. 24. cap. 12. de reformat. Vt tenent Garzia, Barbosa, Gonzales itam referendi. Quod debeantur fructus constat: quia legitima causa absunt quales est, seruitium Episcopi, & utilitas Ecclesiarum. Quod vero distributiones non sint de bita, inde constat: quia non sunt occupati in visitatione Ecclesiae propriae. Excipit nisi consuetudo esset in contrarium, vel nisi praebenda alios fructus non habeat praeter quotidianas distributiones, quia tunc eas lucratur deducta tertia parte, ne privilegium esset inutile; & quia tunc distributiones loco fructuum succedunt. Sic pluribus exornat Garz. 3. p. de benef. c. 2. an. 346. Barbosa 3. p. de potest. Episc. allegat. 53. num. 142. Gonzalez ad reg. 8. Cancellaria gloss. 6. num. 255. Quamvis contra videatur tenent Bonacina disp. 2. quest. 5. p. 3. §. 2. num. 3. Et §. 6. n. 4. Et §. 9. n. 2. morus ea ratione. Quia non reddatur inutile privilegium à iure concessum de lucrando fructibus in absentia: si quidem hoc verificatur in beneficio habente fructus distinctos à quotidianis distributionibus. Verum cum textus absolute dicat lucrari fructus in absentia Canonice seruitium Episcopo, de quolibet Canonice intelligi debet. Tum quia est privilegium inferum in iure communi, & sic late interpretandum. Tum quia in pluribus Ecclesiis Hispaniae esset inutile, cum ferè in omnibus fructus beneficii non sint alij praeter quotidiana distributiones, & tradit gloss. in simili in cap. licet de praebendis & dignitatibus.

2 Hinc constat Canonice Vicarium Episcopi excusatum esse à residentia, & fructus praebendae lucrari, quia est in seruitio Episcopi, & in visitatione diocesis occupatus, non tamen percipit distributiones quotidianas, nisi consuetudo sit in contrarium, vel nisi praebenda alios non habeat fructus, & tunc tertia pars deducenda est ratione nuper dicta. Sic Alex. Moneta 4. p. q. 11. an. 78. Rebuff. in praxi, titulo de Vicariis Episcoporum num. 5. Garzia 3. p. cap. 2. num. 357.

Constat. Secundo, Canonice associantes suum Praelatum extra Ecclesiam volentem audire Missam, vel illam celebrare, non lucrari distributiones quotidianas, quae interessentibus dantur, sed solum fructus. Sic decimum refert Gonzalez ad reg. 8. Cancellaria, §. 7. praemij, num. 183. Moneta 2. p. de distributionibus, quest. 8. num. 14. Augusti. Barbosa 3. p. allegat. 54. num. 141.

3 Sed rogabis. Quos autem beneficiatos possit assumere Episcopus in sui familiares: Respondeo in spectro iure communi dict. c. de cetero, cap. Ad audientiam, solos Canonicos, seu portionarios, qui fuerint de capitulo Ecclesiae, cuius ipse Episcopus caput est, assumi posse: secus portionarios, & alios clericos inferiores, qui de capitulo non sunt, nisi grauis necessitas, vel utilitas Ecclesiae urgeret. Sic pluribus decisionibus Rotae, & Doctoribus comprobatur Garzia 3. p. de benef. cap. 2. à n. 371. Gonzales ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. à n. 260. Barbosa 3. p. allegat. 53. num. 143. Bonacina disp. 2. de hor. canon. quest. 5. p. 3. n. 2. aduersus Ioannem Andream in dicto cap. Ad audientiam vers. dicit potest. quem ibi sequitur Butrius num. 9. Cardin. quest. 4. Imola n. Anania in princip. Ancharan. notab. 3. Sylua de benef. 4. p. quest. 6. num. 13. seu 33. quos referunt Gonzales, & Garzia supra existimantes quoslibet Clericos ab Episcopis assumi posse, sed sine fundamento.

4 Quod autem aliqui dicunt. Moneta, 2. p. quest. 8. num. 6. Et 7. Ex Ecclesia Collegiata posse Episcopum assumere non duos tantum Canonicos, sed plures in sui familiares: quia in dicto cap. De cetero, nulla sit limitatio, & in cap. Ad audientiam, ubi limitatio fuit facta ad duos Canonicos, loquitur de Canonicis Ecclesiae Cathedralis, sustinendum non est. Quia ex limitatione facta in cap. Ad audientiam, inferunt limitandum esse cap. De cetero. Si enim ex Ecclesia Cathedrali non potest Episcopus nisi duos tantum in familiares assignare, neque etiam poterit ex Ecclesia Collegiata, ubi regulariter numerus praebendarum minor est, & foret ea de causa Vgolinus de officio Episcopi cap. 19. num. 6. dixit Praelatum Ecclesiae Collegiatae vnum tantum habere posse in suo seruitio, non plures, Alias hi plures

signate possent sine limitatione, cederet privilegium in gratia detrimentum diuini cultus Ecclesiarum Collegiatarum, & ita tenet Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 381.

5 Verontamen debet esse omnino certum parochum nequaquam in familiare Episcopi assumi posse ultra duos menses à Concilio permittos, neque designari in Vicarium, aut visitatorem, &c. Sic pluribus decisionibus sacra Congregationis probatur Garzia 3. p. c. 2. num. 40. Gonzales reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 258. Barbosa 3. p. alleg. 53. to. n. 86. Reputatur enim assentia Parochi ita utilior Ecclesiae, vt ex assentia ad Episcopum honestari non possit.

6 Nominis Episcopi quilibet habens iurisdictionem Episcopalem intelligitur, & qui caput est alicuius Ecclesiae Collegiatae, vt Abbas, vel Prior. Hic enim assumere potest in sui seruitium duos ex praebendatis, quia ab assentia chori excusatur in ordine ad fructus lucrandos licet non in ordine ad distributiones quotidianas. Sic Abbas in dicto cap. De cetero, num. 3. Sylua de benef. 4. p. quest. 6. casu 17. Rebuffus praxi titulo de dispensatione, num. 47. Garzia 3. p. de benef. cap. 2. n. 381. Quocirca Legatus in Provincia suae Legationis, & Archiepiscopus in sua diocesi eos suae diocesis (licet non diocesis Suffraganeorum nisi in illis casibus, in quibus superior est) assumere potest in sui familiares, & eos ab assentia chori excusare quoad fructus lucrandos. Sic Salzedo praxi cap. 52. casu 2. Moneta 2. p. de distribut. q. 8. à n. 9. Et q. 9. à n. 3. conclusi. 1. & Garzia aliis relatis 3. p. cap. 2. num. 382.

§. III.

An familiares Pontificis excusentur à choro, & distributiones acquirant.

1. Excusantur quoad lucrandos fructus non distributiones.
2. Qui dicantur Pontifici in seruire.
3. Recensentur qui ex privilegio Pontificis non solum fructus, sed etiam distributiones lucrantur.
4. Non debet extendi supradictum privilegium ad familiares Cardinalium, & Legatorum.
5. Neque item ad seruientes Regi, & Supremo Principi in officio ab ipso designatis.

Primo excusantur Canonice, & praebendati ab assentia diuinorum officiorum in ordine ad lucrandos fructus praebendae, si Pontifici seruiant, quia est legitima causa absentiae, & fortior, quam Episcopi seruitium, vt dicitur in cap. cum dilectus de cler. non residentibus. At non possunt distributiones quotidianas lucrari, nisi aliquo privilegio, aut consuetudine legitime praescripta muniantur, vt in supradicto cap. habetur, & tradit pluribus relatis Garzia 3. p. de benef. cap. 2. num. 383. Moneta 2. p. quest. 9. num. 13. Bonacina disp. 2. q. 5. p. 3. §. 1.

2 Illi autem dicantur Pontifici in seruire, vt supradicto privilegio gaudeant, qui sunt eius Capellani, Camerarii, Secretarii, ac reliqui similes Officiales. Item qui ex mandato ipsius in curia commorantur, vel quibus expeditio alicuius negotij in vrbem, aut extra committitur. Sic Bonacina supra.

3 Dixi nisi aliquo speciali privilegio muniantur. Quia aliqui sunt Pontifici seruientes, quibus non solum fructus, sed distributiones conceduntur. Sunt autem Auditores Romanae Rotae ex Bulla Clementis V. I. quae incipit: Conuenit, prout tradit Lelius Zechus in Rep. Eccles. 11. num. 2. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 53. n. 155. Secundo, Inquisitores, & Fideles haereticae prauitatis ex privilegio Pauli III. & Pij V. prout referunt Rojas de haereticis, singulari 96. Garzia 3. p. cap. 2. n. 356. Barbosa 3. p. alleg. 53. n. 156. Spino in seculo restam. gloss. 3. in princ. num. 78. ad parochos etiam hoc privilegium extendit, sed absque fundamento, & contra expressam declarationem sacrae Congregationis relatae à Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. n. 265. Rubius decis. 393. n. 4. Barbosa alleg. 53. num. 87. Et 165. Zeballos commun. contra comm. quest. 585. num. 12. Tertio, Collectores generales Camerae Apostolicae, Subcollectores, Aduocati, Procuratores, Fideles, & Notarij in causa spoliatorum, & iurium praefatae Camerae eorum officio durante: ex Bulla Sixti V. edita 8. Maij 1590. & tradit Moneta 2. p. quest. 11. num. 111. Barbosa 3. p. de potest. Episc. allegat. 55. num. 157. Ij enim omnes solum lucrantur fructus, sed etiam quotidianas distributiones.

4 Supradictum privilegium percipiendi fructus in absentia pro familiaribus Pontificis illique interuentibus, aliqui extendunt ad familiares Cardinalium, & Legatorum; quia reputantur Papae seruientes. Sic Syluester verbo residentia, num. 7. Zerola, praxi Episcopi, p. verb. Residentia, §. 4. Selua de benef. 4. p. quest. 6. casu 21. Villadiego de Cardinali n. 63. Azor. 2. p. institutionem moral. lib. 7. cap. 4.

Ceterum dictum privilegium esse olim fuerit concessum (de quo multum dubio) per Tridentinum sublatum omnino est, vt vsus testatur. Sic Garzia aliis relatis 3. p. de beneficiis cap. 2. num. 388. Et 423. Alex. Moneta 2. p. quest. 9. num. 7. & Bonacina disp. 2. q. 5. num. 3. §. 1.

§. Secundo